

bernandam aggreditur, ut sui penè immemor labores omnes, omnesque nervos ad unam dumtaxat gregis sibi commissi administrationem intenderit, atque illud cogitare primum coepit, operam sibi strenue esse navandam uti subditorum mentes, consilia, cogitationes, moresque diligenti per vestigatione cognoscere, deinde ne turpiter aliorum deciperetur fraude cavendum sibi maxime statuit: quapropter dissitas Episcopatus longeque disiunctas provincias incredibili celeritate peragravit, inveniit; at quos illi opus fuit itinerum anfractus superare, quas climatum intemperies experiri, quoties scolopendris stellionibus cullicibus aliisque innumeris insectis ire obnoxium, quoties montium cacumina petere, pluviarum imbribus madefieri, fluminum vada traicere? Impigrum tamen huc atque illuc cursitare, paroecias circumspicere; sacram inspectare suppellectilem, mores vitamque sacerdotum diligenter inquirere, arrectis auribus quaecumque de iis Parochis speciatim dicerentur, haurire, cuncta oculis subiicere, obvios quosque ultro compellare, et cum illis de populorum salute conferre qua ratione excolerentur quibusve adiumentis perfici in fide Catholica et confirmari possent, sermones serere, animos tentare, et ad libere loquendum allicere. Ipsi nos illum conspeximus saepissimè atque eius sagacitatem et prudentiam summa cum admiratione col-

laudantes spectavimus. Id propterea populi omnes et oppiduli etiam sui Antistitis dulcissima praesentiâ recreabantur: nec enim eximium eius Religionis studium, fervens salutis animarum zelus, singularis illa ac pene divina agendi ac puniendi prudentia, mansuetudo, comitas, misericordia, caeteraeque virtutes quibus semper affulsit latere quemquam poterant, quin potius omnes illum ingenti plausu effussisque laudibus prosequabantur. Dum autem hisce omnibus incumberet è vestigio ad Seminarium Tridentinum se convertit, licet enim ingentes tunc faceret progressus nactusque esset ea, quibus tuto acquiescere posse videbatur, è re tamen sua esse censuit eruditionis formam tempori congruentem qua iuvenes ad summum verae sapientiae apicem ascendere possent acuratè adque formam Tridentini Concilii sancire: praevidebat videlicet satisque intelligebat omnes illas scientias edoceri oportere, quae conservandae et amplificandae imo resarciendae Ecclesiae calamitosi huius et luxuriantis aevi deplorandae sufficerent iacturae. Tantus itaque ad Seminarii aedem disciplinamque illico certatim iuvenum confluit numerus, ut inde facile quantopere placerent Joannis conatus et quantos etiam fructus dioecesis expectaret uniyersa, luculenter patuerit. In plura etenim excurreret oratio si nunc proponere ac vobis enarrare animus esset, quot quanti-

que alumni ex Tridentini Seminarii disciplina pro-  
dierint per universam patriam et ultra dispersi mu-  
neribus honorificentissimis insignes, qui omnes  
plurima sapientissimis Praesulis institutionibus, si  
minus ingrato animo esse malint, ultro volenter-  
que fatebuntur.

Neque id verò satis fore ratus, Seminarium  
praeterea instituit Clericorum ac veluti ardentem  
facem in medio Ecclesiae suae collocavit, è quo  
maximam utilitatem ad singulos dioecesis populos  
redundaturam sperabat: optime quidem perspec-  
tum erat ei summo studio et animi contentione  
elaborandum esse, ut Sacerdotes, quive ad Sacer-  
dotium conabantur evehi, certam sedem et domi-  
cilium haberent ubi orationi, piaè meditationi,  
praxi sacrorum rituum, divini Verbi praedicationi  
iugiter instantes, atque adamussim excolentes  
populo exemplo praeirent, ordini Sacerdotali exem-  
plo essent, inibique degeneres revocare, detineri  
leniter et publica sine offensione animadvertere  
ut sponte quantocius resipiscerent, atque in veri-  
tatis et honestatis viam redirent, quos ipsum com-  
pellare perspeximus non semel, at qua humanita-  
te qua comitate verborumque suavitate? Ita equi-  
dem has virtutes quasi condiebat, ut non homi-  
nem infensum videretur convenisse, qui illum adi-  
bant, sed propitium Dei Ecclesiae Principem ac  
beneficum parentem.

Verumtamen clementiae et mansuetudinis  
cum alias saepissime, tum eo sane tempore veris-  
simum ac pulcherrimum testimonium reliquit,  
cum Parochum iuvenem, egregium certe, pluri-  
mis mentis corporisque dotibus praestantem, no-  
bis omnibus notum, qui tamen ut misere ac inius-  
tè ipsum lacesiverat Antistitem, sic pacem postea  
supplex petiturus accessit, quodnam ergo tunc Joan-  
nem benignitatis animique celsitudinis specimen  
dedisse coniicitis? Magnum profectò, aeternitate  
dignum, dignum coelo et gloriae numquam inte-  
riturae, compos. Joannem inquam ut vidit paro-  
chus cum venerabundus salutare et procumbere  
conaretur, ab Episcopo glorioso et egregio certa-  
mine prohibetur, quin etiam reluctantem paro-  
chum quodammodo est veneratus mitissimus Antis-  
tes, atque ipsum stupentes intueremini perinde ac  
si de iniuria quam nec facere cogitaverat, à sibi sub-  
dito palam conventum precibus efflagitantem ve-  
niam, quid igitur? an clementia et iustitia in certa-  
men delapsae congregiantur atque confligunt? mi-  
nime gentium, imo potius amiciori tunc foedere  
in Joanne mirabiliter copulabantur.

Tanta erat profecto, tam celsa, tamque mag-  
nanima in illo prudentia, ut affectiones omnes ra-  
tionis imperio demitteret omnino et subiugaret,  
inerat enim illi comitati adiuncta semper gravitas  
apostolica, qua quidquid diceret, quidquid ageret

ad dignitatem componebat admiscebatque levioribus etiam in rebus illud quod sumis viris convenit, decorum: haec autem omnia ab uno prudentiae fonte quasi rivi emanabant, quae sic in illo scaturiebat, ut numquam exaresceret, sic fluebat ut in omnes partes diffunderetur; probe etenim noverat, non solum vitia hominum, actiones vitamque perturbare, sed virtutes quoque ipsas cum intensione nimia tum etiam remissione decipere nonnumquam, idque circo prudentiam adhibendam esse quae advocet ea atque retineat, quae recipienda sunt, segreget necnon repellatque contraria. Hac igitur pene divina prudentia Antistes noster ita abundavit ut ea quidem uteretur non solum ad vitanda atque fugienda vitia, sed in suo maxime obeundo munere saepe tempori, saepe rebus, personis saepe, alias magis, minus alias quid semper ac dignitati suae, gloriae Dei, utilitati Ecclesiae quantum posset inserviret.

Porrò si quando animum gravibus et continentibus Dioecesis curis lassum et quasi fatiscentem, recreare et relaxare voluisset, informandis eo tempore vacabat et suffulciendis populis per litteras pastorales innumeras quaqua versum sparsas, quibus tenerrimus corde parens demissam illam venerationem, debitamque superioribus obedientiam, adhortare, politiam ecclesiasticam ordinare, templorum nitorem, accuratam Dei et Ecclesiae man-

datorum observantiam, integram morum puritatem commendare, impendentia itidem Ecclesiae mala sapienter, quoad poterat, à grege sibi commisso, uti illibatus servaretur et incolumis, avertere obviamque blandienti pesti et inimicorum conatibus ire ac pacem Dei, quae exuperat omnem sensum, magnificis dulcissimisque verbis consuadere nunquam destitit. Pax, pax vultu aequabili sereno clamabat semper placidus, et quadam cum gravitate coniunctam hilaritatem praeseferebat. Tu nimirum, alma pax, non exultantem neque afflictum nullo certe tempore neque adversitate aut aegritudine animi, nec denique laetitia sive voluptate, quae res transversos fere rapiunt homines, nostrum Antistitem umquam deseruisti. Te quidem adiutrice stabilire cuncta, omnia componere, ad officium suum pertinere arbitrabatur, nec extirpandis tantum vitiis, sed afflictis in primis et labefactatae Religioni consulere atque remedium adhibere: hoc enim Ecclesiasticorum, hoc pastorum proprium est munus inclamabat. Vigeat itaque tanti muneris sollicitudo, sed leniter semper, sed mitissime, ut inimicos Ecclesiae ipsos lucrifacere nonnumquam, obstupentibus iisdem, celebremur.

Videre nunc videor Joannem nostrum defixis in Ecclesiam mentis perspicacissimae oculis, veluti extra se raptum propemodum haereret, moxque ad se reversum lugubri et moesta voce propè mi-

nitantem eius ruinam orbitatemque hocce anxii cordis lugere suspirio. O conditionem nostri saeculi vere luctuosam atque infelicissimam! ubi vis gentium profana viget libertas, Religio Sancta oppugnatur, iam non obscure serpit cancer, sed grassatur apertè: haereses cum lacte suguntur, et earum flama longius quotidie progreditur. Coelestis Clementissime Parens, quod tantum scelus audacter populus admittit christianus, ut tam severam expertus fuerit animadversionem? quae tanta peccatorum nostrorum colluvies oculos tuos potuit offendere, ut in tam deploratam fuerit et miserrimam praecipitatus sortem, ut Ecclesia ipsa iniuriis iactatam sese videat, spoliata dignitate, orbatam liberis, acerrimoque bello per orbem universum oppressam? Quousque Domine Deus virtutum exardescet furor tuus? neque haec satis erant nisi ex illius quoque visceribus filii essent exorti, qui afflictam miseramque matrem trovis ipsi aerumnis et nefandis calamitatibus vexarent? Ignosce, Parens Benignissime, ac ruentis Ecclesiae miserere, cui tua solum bonitas et sapientia opitulari potest. quid plura? innumera supersunt adhuc, quibus recensendis nec mea neque alicuius oratio satis erit, haud finem mea inveniret, quae ne vos iam nimium detinuerit, vereor si tanti Praesulis singularum virtutum et magnalium affatim velim meminisse, quanquam obtrectatores non desint qui summi viri

gloriam infuscare conentur, sed incassum, temerario ausu affirmantes summaque iniuria effulentes, illum non paucos Ecclesiae suae proventus in exteram transmississe regionem: minimè mirandum profectò, quod si veterem etiam rerum gestarum memoriam iam inde ab initio ad usque nostra infelicissima haec tempora repetere velimus, inveniemus plane et veritatem ipsam semper mortalibus fuisse invisam, et eos, qui illius causam patrociniumque susceperunt publico odio conflagrasse et impios contra se hominum sceleratorum animos armaque movisse. Dico itaque, et magna quidem voce pronuntio: vix perexiguam eleemosinam Episcopus nonnumquam sed impensissimis precibus pauperibus Paroecis in quibus beneficium obtinuerat, necnon consanguineis aliisque summâ egestate in Hispania laborantibus annuit impertiri, quod caetera quae possidebat non sua sed Ecclesiae pauperum sibi commissae propria existimaret. Et sane mecum ipse recolens innumera, quae nostrum Antistitem misericordem palam exhibuerunt, erigor animo atque ad ea saltim obiter commemoranda alacris aggredior. Testes imprimis adeant universi hominum ordines, omniumque statuum egeni ultro edicentes quid et quantum Joannis pietati, magnificentiae, misericordiaeque debuerint: testes sacra monasteria, pribataeque domus ubi iugiter plures virgines aluit: testes nosocomia et ergastula